This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

SE TAIRE
E FAIRE

BC
177
.L16

UNIVERSITAS REGIA.

FACULTAS LITERARUM IN ACADEMIA PARISIENSI.

THESIS PHILOSOPHICA

DE DEFINITIONE.

Lafaye, Pierre Benjamin

PARISIIS,

EX TYPIS LEBÈGUE,

IN VIA VULGO DICTA : RUE DES NOYERS, N° 8.

MDCCCXXXIII.

Vignaud
10-27-30

MISERRIMA MORTE

PRÆREPTO, AC IN PERPETUUM

DESIDERATO, FRATRI, SAVINIANO.

1-24-31 dwt

Benj. Lafaist.

LM 38

DE DEFINITIONE.

Definitio quasi involutum evolvit id, de quo quæritur. Cic. Top. 9.

Definitio est earum rerum, quæ sunt ejus rei propriæ, quam definire volumus, brevis et circumscripta quædam explicatio.

Cic. de Orat. I, 189.

Cognitis pedetentim rebus, summum esset periculum, ne singulæ protinus, utpote fere innumerabiles, e memoria elaberentur, nisi nobis fuisset concessum quomodo fugaces inhibeamus, nisi videlicet omnibus innotescerent paucæ quædam et simplices admodum notæ, quas facillime retineas, quæ que in animum reducant omnia, quamvis nunc absint longe gentium, quæcunque observatione perceperis. Quæ quidem notæ, sive Dei beneficio, sive sola hominis industria inventæ, reapse nobis hodie præsto sunt; illa velim intelligas, quæ rebus a nobis quoquomodo perspectis imponimus, vocabula.

Ista autem nomina, quæ observatione animadversa significant, non solum hoc præstant quod memoriam juvant mirum in modum, verum etiam ad cogitationum patefactionem maxime

conducunt. Cum enim apud omnes ejusdem gentis homines idem sonet vox eadem, et verbo eidem eadem res vulgo subjiciatur, si mihi rem cognoscendam tradere libuerit, nomen proferam, qui aliter rem ipsam exhibere debuissem.

Qua quidem ratione recta ac integra cujusque cogitationum intelligentia cæteris semper fieret, si omnes ii, quibuscum loquimur, res in sermonem adductas semper vidissent, omnesque semper eidem verbo eamdem prorsus vim tribuerent. Plerumque autem accidit, ut his, quos alloquimur, non res comperta oculis, et de ea notio vaga ac vix inchoata sit; ideoque verbum, quo rem indicare volumus, illis aut omnino aut magna ex parte sonus vocis videtur inanis. Identidem fit etiam, ut, eodem duabus rebus indito nomine, quum illud dicendo usurpamus, nesciat auditor utram significare nunc nobis sit in animo. Usu denique venire solet, ut, de re aliqua sermone inter duos homines intercedente, alter quasdam tantum, alter vero omnes rei partes viderit, vel alias alter, alter alias; quum autem eodem nomine designetur res multimodis varioque sub aspectu, aut ab altero plane, ab altero paululum observata, non potest utique in eamdem sententiam ab utroque accipi hujusce rei nomen. Hic controversiarum et disceptationum fons uberrimus.

Quo igitur pacto duobus hominibus poterit variis in his circumstantiis contingere, ut sese

invicem intelligant? Quomodo scilicet vir aliquis in cognitionem rei, cujus quidem nomen pronuntiat, adducet alium, qui eam nunquam vidit, aut qui e pluribus vulgo subjectis verbo notionibus illam mente comprehendit, de qua minime tum agitur, aut qui denique nomini quasdam solummodo, dum alter omnes, vel alias, alter dum alias, rei partes supponit?

Hanc primum simplicem apprime consentiendi rationem ineundam natura docet : rem ipsam ostendas, fac animadvertantur ejus quum partes, tum vis ac potestates, et : illud, addas continuo, nomen impono rei, cujus tu partes proprietatesque ipse perspicis. At non omnes penes nos, imo paucæ admodum, sunt observatæ res; quapropter istam apertissime sensa exprimendi viam raro sequi possumus.

Dempto autem eo maxime simplici quid verba sonent explanandi modo, confugere ad alium licet, qui ab illo perpaulum differt, illique hoc præstat, quod fere semper potest adhiberi. Quo quidem uti solemus, quum partes et proprietates, quascunque per ἀνάλυσιν reperimus in ea re, de cujus nomine ambigitur, verbis evolvimus et enumeramus. Cum verisimile sit aliis rebus inesse partes ac proprietates hisce affines, et in sermone communi vocabulis notari dilucidis, quibus idem omnino quod nos subjicit auditor, fere nunquam dubium est, quin ab illo, hac proposita enumeratione, plane intelligamur. Quotiescunque porro

sic dilucidare conamur rei nomen, cujus sensus alterum fugit e loquentibus, quodve a duobus in diversas partes distrahitur, quoddam inducimus *definiendi* genus. Hanc igitur *definitio* (1) provinciam suscipit, ut in locum unius verbi, rem quamdam significantis, et minime aut perperam intellecti, complura substituat verba, quæ hujus rei partes et proprietates exprimant, et ab eo, quicum loqueris manifeste comprehendantur. Quæratur, v. g., quid apud me valeat illa vox, *aër;* omnes, quas, ἀναλύσει duce, in hac re deprehendi partes, verbis explicabo, id est *definiam*, et clara perspicuaque evadet mea definitio, si audienti non secus ac mihi liqueat, quid sub verbis lateat, quorum ope has signavi partes.

Veruntamen hæc aperte et enucleate quid nomini quis subjiciat indicandi ratio, quantumvis simplex, ad simplicius dicendi genus redigatur oportet. Sunt enim cuique rei permultæ proprietates ac potestates, quarum enumeratio moras sermoni graves et incommodas injiceret. Quæratur, v. g., quid *auri* nomine appellem, si omnia rerum, quæ sunt auri propriæ, nomina enuntiare voluero, mihi longa omnem ultra modum explicanda erit definitio; dicam nempe : *aurum esse aliquid in loco positum, impenetrabile, ponderosum,*

(1) Hoc saltem, quod proponimus, genus definiendi; cætera vero genera similiter propemodum sese habere progrediendo demonstrabimus.

divisionis capax, perparvulis foraminibus interstinctum; quod figuram habet tractantique manui resistit, durum et solidum, nitidum, leve, ductile, mallei patiens, fusile, quod in cristallum cogi potest; flavum, quod nitrato liquore (1) *domari nequit, etc.* Nonne igitur reperire est unde quid simplicius sufficiamus in hujusce locum definitionis, cætera rectæ, sed a communi usu abhorrentis propter inusitatam longitudinem ?

Fac eum, cui planissime ostendere volo quid auri nomine nuncupem, non ignarum esse, quid sit quod Physici *corpus* appellant, cunctas communes corporibus apprime percallere proprietates, easque sibi animo nunc effingere, statim nobis dabitur quomodo promptior contrahatur definitio, et magis exiguos intra fines contineatur eorum, quæ sunt auri propria, enumeratio. Nam, qui primum, *aurum esse aliquid quod locum occupat, impenetrabile, ponderosum, divisionis capax, perparvulis foraminibus interstinctum*, pronuntiabam, nunc uno tantum verbo possum dicere, *aurum esse corpus;* et, cum audienti pateat quid valeat illa vox *corporis*, non minus intelligenter audiar, secunda quam prima prolata definitione, magnaque parta erit in dicendo brevitas. Dicam igitur mecum colloquenti id, quod *auri* nomine comprehendo, unum esse eorum, quæ vocantur corpora, et deinde adjiciam proprietatum nomi-

(1) Gallice, *acide nitrique.*

na, quæ in prima definitione post priorum contractionem verborum supersunt, quæ que illud corpus, *aurum* intelligo, a cæteris sejungunt ejusdem generis rebus, in hunc modum : *aurum est corpus, solidum, durum, quod figuram habet, etc.* Mihi magna comparabitur brevitas, quia quoddam in sermonem intulero verbum, quo recollectæ, ut ita dicam, nec jam, veluti superius, particulatim expressæ, plures in definienda re deprehensæ proprietates summatim significantur, aut, quod idem omnino sonat, quoniam propositam rem ad unum genus, quod eam complectitur, redegero.

Sed nondum simplex, quantum fieri par est, efficitur definitio. Quibus enim hoc corpus, aurum scilicet, a cæteris ejusdem generis rebus, discrepare declaratur, proprietatum recensio nos diutissime adhuc moratur, ac producitur ultra quam æquum est. Nova igitur nominum contractio et quasi compressio magnopere desideranda. Quam quidem assequi dabitur, si is, apud quem sermo habetur, non nesciat quid sit quod *metallum* vocant, atque eum non lateant omnes in hoc nomen coarctatæ proprietates, illique nunc ante mentis oculos obversentur. Quippe cum *metalli* verbum *corpus* significet *solidum, quod figuram habet tractantique manui resistit, durum, nitidum, leve, ductile, mallei patiens, fusile, quod in cristallum cogi potest,* has omnes uno quidem verbo complectar proprietates ac

potestates, audienti si dicam, *aurum esse metallum*, et major quam in prima secundaque definitione brevitas orietur, tametsi non minor sermonis manebit perspicuitas. Non igitur in genus corporum ingeram, ut antea, rem, quam *auri* signo nomine, quod jam hujusce rei breviat quidem proprietatum enumerationem, sed in genus metallorum introducam, unde fiet prioribus definitio brevitate præstantior; posthac vero nomina subjiciam proprietatum, quas e secunda definitione excerpere omisimus, quibus que hæc generis metallorum pars a cæteris omnibus ejusdem generis secernitur partibus.

Hic mihi parumper commorato liceat in modum, quo ad compendium definiendo conferimus earum rerum, quæ rei definiendæ sunt propriæ, enumerationem, diutius defigere animum, et quædam explicare vocabula, quæ in hac scientiæ parte sibi peculiaria ac solemnia Logice vindicat. Initio igitur verbum induximus, quod plures complectitur rei definiendæ proprietates, sive, ut dicam aliusmodi, genus, in quod adegimus rem auri nomine appellatam; ut, solo istius generis enuntiato nomine, plures rei innotuerint proprietates ac potestates. Verum adhuc longius æquo procurrebat reliquarum descriptio proprietatum, rem illam a cæteris ejusdem generis rebus discernentium; quam angustiores intra fines coegimus, quum nobis venit in mentem, aurum obtinere locum in genere quodam, quod

majorem hujus rei proprietatum copiam comprehendit, id est in genere metallorum. Eo semel comperto, aurum esse metallum, uno solum vocabulo complectimur quum illas, corporis nomine notatas, tum præterea multas proprietates, quas hocce nomen non valebat capere; multo igitur expeditior, re definienda in genere metallorum, quam in genere corporum adscripta, definitio efficitur. *Genus* porro *remotum* vocare solet Logice genus, cujus nomen paucas tantummodo rei definiendæ proprietates significat, ac *genus proximum* genus, cujus in nomine earumdem proprietatum maxima pars inclusa continetur. Genus autem remotum, aut genus illud, cujus nomen paucas tantum rei declarat proprietates, et eam oblique, ut ita dicam, et quasi e longinquo ostendit, multis aliis convenit speciebus. Genus enim corporum, v. g., non auro solummodo convenit, verum etiam permultis aliis rebus. Quamobrem, accersito inter definiendum genere remoto, addantur necesse est permultarum proprietatum nomina, ut species hæc, aurum scilicet, a multis ad idem genus pertinentibus speciebus seducatur. Sed genus proximum, aut genus, cujus nomine pleræque rei proprietates denotantur, paucis admodum aliis speciebus convenit, quia videlicet non tot res, quibus permultarum proprietatum sit communitas, quot res paucis ex partibus inter se congruentes, invenias. Quocirca, quum definitio fit per genus proximum,

nominum paucarum proprietatum opus est accessione, ut res segregetur a paucis speciebus in idem genus atque illa cadentibus.

Proximi autem potiti generis, id est generis, cujus nomini subditur maxima rei proprietatum copia, id est etiam generis, quod aliis quam paucissimis speciebus convenit, an, quin ultra tendamus, impedimur, et ad extremam brevitatem definitio perducta est? Nondum equidem. Quum enim, ut superius adductum exemplum repetam, aurum retulimus ad suum genus proximum, metallorum scilicet, nobis adhuc describendæ supersunt proprietates, quibus ea res a cæteris rebus distinguitur, quæ cum ea in genus metallorum conveniunt. Fieri porro potest, ut hæc proprietatum enumeratio fuse lateque etiamnum edisseratur, et quærere operæ pretium est quomodo quam brevissime hanc quoque novam definitionis partem liceat absolvere. Res ita primum sese posset habere : *aurum est metallum flavum, densissimum, corruptionis fere impatiens, nitidissimum, quod aqua regali dissolutum permistionem quamdam* (quæ nominari ac describi deberet) *præcipitem agit, etc.* At si auro quædam inesset proprietas, *flavus*, v. g., *color*, qua differret a cæteris sine ulla exceptione metallis, is faceret nimirum satis, qui colorem hunc, omissis omnibus aliis auro peculiaribus, enuntiaret. Summa igitur brevitas parabitur hunc in modum definienti : *aurum est metallum flavum.* Quæ qui-

ante omnem verborum contractionem, priusquam invocaremus genus et differentiam, proposuimus, nihilo magis mehercule claudicat, quam duæ posteriores; longior quidem, sed nihilominus vera et apta et ideo accipienda mihi videtur; cui nescio quare duæ aliæ anteponerentur, si nulla habetur ejus longitudinis ratio. Ex hoc igitur exemplo perspicuum est posse verbum definiri aut declarari vim nominis explicatione et evolutione omnium, quæ rei, cui nomen hoc inditum, insunt, proprietatum. Verum est igitur omnem brevem definitionem esse debere definitionem per genus et differentiam; falsum, omnem definitionem aptam et perspicuam ita sese habituram.

Quin etiam contendo non modo *definitionem per enumerationem* nihil in se habere vitii, verum etiam solam identidem adhiberi posse. Hoc enim primum a definiente requiritur, ut plane ac dilucide rem ostendat; omnis definitio, quæ caret claritate, aberrat ab eo, quod sibi solum proponebat, ut nempe nomini, audientis intellectu majori, plura verba ad ejusdem intelligentiam accommodatissima suggereret. Fieri autem potest, ut tibi sit aperiendum, v. g., quid *auri* nomine signes, apud hominem, qui non optime noscit, aut saltem sibi nunc non cogitatione fingit ac complectitur omnes corporis et metalli nominibus vulgo designatas proprietates : tum vero necesse est sit alterum de duobus; ut aut claritatem abjicias, adhibita per genus et differentiam definitione,

aut adjumentum petas definitionis per enumerationem, qua sola tibi mentem manifestam facere liceat. Et aliquis si forte dicat : auri primo verbum, advocato genere corporum vel metallorum, definiam, atque, si postea sentiam ab audiente non easdem aut non tot, quas aut quot a memet ipso, hujus generis nomini proprietates subjici, rursus definiam corporis aut metalli verbum; sic respondebo : duas pro una fore definitiones, et enumerandas esse, quum definietur corpus aut metallum, easdem scilicet proprietates, quæ evolvi ac describi debuissent, definitione per enumerationem ab initio præposita. Ad definitionem igitur per enumerationem vel invito redeundum, et unius definitionis loco duæ suppeditentur oportet, quod confert nequaquam brevitati, quæ tantopere quærebatur.

Quod vero de definitione per genus dico, idem omnino de definitione per genus proximum dicere æquum est. Hæc tanto illam, quanto illa definitionem per enumerationem, brevitate antecellit; inde vero non, ædepol, sequitur, omnem per genus definitionem posse ac debere per genus proximum fieri. Nostram enim auri secundam definitionem intueamur attente : *aurum est corpus solidum, durum, quod tractanti manui resistit, nitidum, etc.*; non equidem perspicio unde hæc definitio, in qua adhibetur genus remotum, peccet magis, quam tertia, quæ proximum genus continet, nisi quod longius provehatur et ma-

jorem verborum vim adducat ad notandas proprietates, quibus hæc res a cæteris ejusdem generis rebus dignoscatur. Cæterum vero, mihi non liquere fateor, quanam ex parte hæc per genus remotum definitio ansam præbeat ad reprehendendum. Quinimo istius modi definitiones subinde proponantur oportet, quum videlicet is, apud quem verba facimus, plane scit et probe nunc animo tenet omnes proprietates, quæ sub generis remoti nomen coalescunt, nescit autem aut nunc non mente colligit omnes, quas complectitur generis proximi nomen, proprietates. Evenire enim potest, v. g., ut tibi, quid *auri* nomen valeat, coram homine, qui recte intelligat quid corpus, male autem quid metallum sonet, definiendum sit; aut tibi indicandum, quid sub *leonis* nomine lateat, homini, qui, quid sit *animal*, apprime norit, quid vero *genus felium* Physici appellent, prorsus inscio. Perspicue igitur patet, te, si tum per genus proximum definitionem dabis, brevitatis cupidum, a vero definitionis proposito, claritatem intelligo, declinaturum.

Non minus denique certum arbitror, in definitione per genus, proximæ seu unius vere rei propriæ differentiæ loco, adhiberi posse plures, quæ singillatim non tam distincte, at vero conjunctim non minus dilucide, quam differentia proxima, rem definiendam a cæteris ejusdem generis rebus separant. Si aurum esse metallum

assero, additis hujusce generis nomini nominibus proprietatum, quarum aliæ rem a quibusdam, aliæ vero a quibusdam aliis, omnesque ab omnibus metallis segregant, tam recte, tam enucleate me definire puto, quam quum differentiam induco proximam et aurum esse flavum metallum paucis affirmo, eo semper excepto, me longius sermone progredi. Non minus manifeste apparet, interdum non posse, nisi omissa claritatis cura, definiendo proximam afferri differentiam. Nam si proprietas, v. g., qua aurum a cæteris omnibus metallis disjungitur, sive etiam proxima ejus differentia, in hoc posita esset, quod nitrato liquore dissolvi nequit, nesciret autem is, quicum loqueris, quid sit nitratus liquor, nec ideo concipere etanimo, quid sibi hæc verba velint, *posse aut non posse liquore nitrato domari*, tum, ut sub intelligentiam caderet definitio, proxima omnino neglecta differentia, alias, quæ summatim aurum ab omnibus sine ulla exceptione metallis discriminarent, evolvere cogeretur. Animadverti etiam potest, eamdem claritatis curam causam esse, cur modo hac, modo illa proxima differentia, prout viros plus minusve doctrina excultos alloquimur, uti debeamus.

Aliquid definientibus Logicæ præscribit, quod, salva, quam illi debeo, summa reverentia, reprehendere audebo. Postquam per genus et differentiam, et per genus proximum differentiamque proximam jussit definire, nos graviter et magno-

pere adhortatur ut quam brevissime definitionem conficiamus. Si quos habuit Logice autores recte intellexissent, cur in definitione adhibeantur genus et differentia, et, quantum fieri potest, genus proximun differentiaque proxima, profecto a duobus sese abstinuissent præceptis, quorum alterum idem omnino quod alterum significat.

Illud etiam tradit Logice præceptum, ut clare ac lucide definiatur. Quod ego præceptum magni æstimo, et pro virili parte defendam. Id tamen nonnulli supervacaneum ideo judicarunt, quod tam in omni sermonum genere quam in definitione requiritur claritas. Quum vero ea sit definitionis natura, ut quidquid est obscuri, in communi sermone dilucidet, illa minus quam hic claritate indigere potest. Sermoni interdum, saltem poetico, licet aliquid admittere incerti et ambagiosi; omnis autem, quæ obscuritate laborat, definitio, nulla est. Nihil igitur obstat, quin nobis præcipiatur, ut plane et aperte definiamus; sublata enim claritate, definitio tollitur. Imo etiam haud parvi refert definientem perpetuo commonere, non brevitati claritatem esse posthabendam; nunquam, nisi sinente claritate, omittendam proprietatum enumerationem et invocandum definitionis per genus auxilium, nec, nisi claritate incolumi, definitioni per genus præponendam esse definitionem per genus proximum proximamque differentiam. Ut in definitione ad hibeantur genus ac differentia jubere, nonnihil

haberet periculi, nisi hoc præceptum præcepto clare et dilucide definiendi temperares.

His de quibusdam Logices regulis obiter animadversis, ad quæstionem devenio, superiori doctrinæ affinitatis conjunctione devinctam, quæ que huic disputationi finem imponet.

Quæritur, an definitio nos in rerum naturæ cognitionem adducat? Quæ quidem verba, *alicujus rei natura*, ni fallor, idem sonant quod ejus proprietatum summa. Si homini porro noscerentur omnes cujusdam rei proprietates, ea esset definitio per enumerationem, quæ hujus naturam explicaret et cognoscendam traderet, sive etiam nobis daret perfectam rei scientiam. Sed ne tum quidem illius naturam exponere definitio per genus proximum proximamque differentiam posset; fac enim, nobis esse notas ac plane perspectas omnes auri proprietates, postquam dixerimus aurum esse metallum, tunc etiam unam tantummodo addemus differentiam proximam, ut illud a cæteris metallis seducatur, neglectis perplurimis aliis qualitatibus, quæ non in omnia metalla cadunt, sed aliæ auro cum quibusdam metallis (e. c., vis nitrato liquore major), aliæ cum quibusdam aliis (v. g., maximus fulgor, maxima densitas, etc.), conveniunt. Unde manifeste patet, vulgo adhibitam, id est per genus et differentiam definitionem sibi proponere, non tam ut rei naturæ det cognitionem, quam ut rem a cæteris rebus circumscribendo discriminet; quod

definitionis verbum proprie significat. Unde etiam solis est clarius luce, definitionem per enumerationem, cujus in locum substituit humanæ mentis industria definitionem per genus et per differentiam proximam, quæ que tamen revocari debet, non cadente sub intelligentiam per genus et differentiam definitione, non esse definitionem proprie dictam, atque has sibi vindicare partes, non modo ut rem a cæteris sejungat, verum potius ut quam maxime absolute fieri potest ad cognitionem transferat. Unde liquet denique, definitionem per genus et differentiam quamdam quidem, sed mancam, sed quasi mutilam, esse proprietatum, quæ rei insunt, enumerationem.

Quas theses ad disceptationem publicam propono, breviter, ut mos est, excerpere et recolligere in hunc modum mihi videtur:

I. Esse reapse definitionem quamlibet proprietatum, quæ rei definiendæ insunt, enumerationem, licet a definientibus, ut hæc brevietur, adhiberi soleant genus, vel remotum, vel proximum, et differentia, vel plurima aut remota, vel proxima;

II. Non omnem fieri nec faciendam esse per genus et differentiam definitionem;

III. Non omnem, quæ fit per genus ac diffe-